

23

PHIDITIUM

Dīs dapi-dantibus

SOLENNITER INSTITVTVM CELEBRATVM 2;

In

Publico Philosophorum triclinio ad Nudipedes,

MARPURGI CATTORVM

30. d. Iulij hora 1. merid.

Ab

HENRICO OXYCHENIO

Catto-Treisigena.



MARPURGI,

Typis Salomonis Schadewitz, Typogr. Academ.

Anno M. DC. LIII.

Amplissimis, Consulissimis Clarissimisq; Viris

DN. JOANNI GEISELIO. J. U. D.

Serenissimi ac precellissimi Principis ac Domini, Dn Guilielmi VI. ejus nominis Hassiæ Landgravii &c, consiliario & Assessori supremi Dicastri Hassiæ, uti dignissimo, ita fidelissimo & optime fungenti.

Mecœnatibus, & promotivibus suis debito observantiæ & honorificentiz culta perpetuum suscipiendis.

DN. ABRAHAMO HEIMELIO, J. U. D.

& causarum patrono apud Treisenses celeberrimo.

NEC NON

Reverendis Doctissimisq; Viris

DN. JOANNI WERNERO,

DN. JOANNI MÖNACHO,

Illi apud Treisenses Metropolitanæ & protomystræ, Huic apud Mengsbergenses pastori, dignissimis, Vigilantissimis, fidelissimis fautoribus & amicis suis observandissimis.

UT ET

Spectatissimis, Integerrimis prudentissimisq; Viris,

DN. MATTHIÆ PAVLI,

DN. THOMÆ MVTIO,

DN. HENRICO SCHRÖDERO,

DN. THOMÆ SCHWEINS.

DN. JODOCO HOFMEISTERO,

Ejusd. Reipub.

BERGERO Senatoribus.

Schrödero sacro suo patrino, reliquis affinitibus, patronis, fautoribus & amicis suis honorandissimis.

Itidemq;

Humanissimis, Doctissimis, Spectatissimisq; Viris,

DN. JOANNI VOLLANDO,

DN. STEPHANO GROSIO,

DN. JOANNI RIEDGANSIO

Illis præceptoribus & utrisq; affinitibus, perpetuum colendis, huic parenti suo perennati filiali pietate Venerando.

D. D. D.

Hæc publicæ ingenii studiorumq; suorum primitias.

H. O. C. Tr.



ORATIO

DE VERA AMICITIA.



SI verum est, A. O., si inquam verum est tritum illud sermone proverbium, (omne rarum carum) tunc certè extra omnem dubitationis aleam ponendum, ipsam veram amicitiam rerum omnium esse carissimam & pretiosissimam : quippe cùm in tota rerum universitate nihil rarius eâ ipsâ inveniatur.

Peragremus, quæso, amplissimum ac spatiosissimum totius universi amphitheatrum, intendamus omnem oculorum nostrorū aciem, & quàm accuratissimè lustremus, quicquid gentium, quicquid nationum in toto terrarū orbe est, quæritemus veram amicitiam, vestigemus eam & tendemus, periclitemur & experiamur, num quo in loco, quâ in domo, quâ in urbe, quâ in civitate, quâ in Republi-

A

câ,

5111

ea, quo in principatu, quo in regno, quo in imperio
eam invenire possimus. Citius, meâ quidē sententiâ,
basiliscum, citius monocerotem adinvenies, quam
ipsam veram amicitiam, adeò rari sunt veri amici:

Dilaudant quidem prisca secula Achillis &
Patrocli concordiam; dilaudant Castoris & Pol-
lucis amicitiam; dilaudant Tydei & Ogygidis mu-
tuum amorem; dilaudant Thesei & Perithoi, Py-
thiæ & Damonis, Piladis & Orestis, fratrumque
ficulorum fida & amica pectora: deprædicat sacra
scriptura Davidis & Jonathanis arctissima mutui
amo. is foedera. Sed ubi nostro seculo octo illa ve-
rorum amicorum paria? Vbi illa inter mortales e-
runt repertitia? O raram! O caram admodū veram
amicitiam! quæ nostro seculo universum mundum
deservisse adeòque in coelum avolâsse videtur, cu-
jus cultores adeò rari, adeò parci, adeò pauci sunt
per omnes omnium terrarum oras, ut caro pretio
certare ausim, vix unum fidorum amicorum par in
toto mundo repertum iri. O cæca & effascinata
mortalium pectora! quæ, cum aliarum rerum mi-
nus pretiosarum culturam tanti faciant, pretiosissi-

mæ

mæ hujus virtutis, veræ nimirum amicitiaæ studi-
um tam nauci, tam flocci, tam cõtemtim habeant,
nec quicquam eurent. At quid in causa esse dicam?
Nil aliud, quam quòd mortales obsessi malevolen-
tiâ & livore, sibi mutuò diffidant & invideant, nec
quisquam quenquam ad veræ amicitiaæ studium,
cultumque illiciat, instiget, cohortetur & com-
monefaciat, quæ ipsa Epidemia, cùm omnes alio-
quin populos occuparit, tum vel inprimis schola-
sticas infestat societates, in quibus dolendum, quòd
veræ amicitiaæ studium tam signiter tractetur,
quodque nemo inveniatur qui studiosæ juventuti
quicquam stimuli ad colendam eam admoveat.

Cùm ergò vera amicitia ad coalitionem, in-
crementum & conservationem Academicarum
societatum immensum conferat, & blandæ, festi-
væ atque opportunæ exhortationes plurimum fa-
ciant ad illicium meliorum mentium, cùmque sæ-
pius inter convivandum per delenifica blandilo-
quia id ab hospitis oppidò nobis impetrare con-
tingat, quod aliàs vix ac ne vix quidem per cre-
bras & serias interpellationes ab ijsdem unquam

4.
obtineremus, idcirco non abs re sed operæ pretium me facturum existimavi, si infelix auspiciū novæ hujus Academiæ, pro larium meorum tenuitate, phiditium quoddam missibus ternis intercalatum instituerem, & in excitamentum ad veram amicitiam singulis missib⁹ nihil non de eadem Socratico more dissertando intermiscerem: quod dum apparare & celebrare instituto, vos, qui adfistis coinvitati phiditij hujus nostri hospites exoptatissimi, amicissimè rogitō, ut pro vestra æquanimitate & eutrapelia, minutalia nostra semicruda, semicocta, extaq; macilenta, ad verua columna (quæ est supellectilium nostrorum vilitas) semitosta, semiaffa, non tamen prorsus nauseabunda & fastidienda, & quicquid præterea jejunijs obsonij appositum fuerit, æqui bonique consulere velitis. Sed eccum primum phiditij nostri missum, quem, cum ab assentatoribus, adulatoribus, thraconibus, gnathonibus & parasitis, opertis patellis subinferri videam, inde tempestivum interfandi auspiciū bonâ cum venia vestra arripiam.

Non omne, convivæ exoptatissimi, non omne

5.
mne quod rutilat aurum est: non omnes veri amici sunt, qui se amicos profitentur: multi dolor! amicitiam & fidei stabilitatem simulant, qui tamen in colenda amicitia sunt inconstantissimi & in fide servanda lubricissimi. Non omnibus ergò fidendum, sed explorato opus est: Fide, sed vide cui fidas: sæpè namq; faciles in fidendo fefellit fiducia, sæpè decepit opinio, *zu viel getraut/ hat offt gerat.*

Prò hominum fidem! quàm crebri, quàm frequentes inveniuntur ejusmodi inter mortales amici, qui in ventris sui saginam & in gulæ suæ inexplebilis & ineluibilis delictum aliorum suorū liberalitatem quousq; fortuna favet & arridet, veluti umbra quædam indissociabilis, insequuntur, qui, quousq; lares fumant, quousq; ollæ spumant, quousq; verua stridēt, quousq; fercula nident, quousq; canthari stillant, & pocula vacillāt, qui, quousq; superest, quò optatò frunisci possunt, quousque suppetit quod cum altero esse queunt, affabrâ quâdã calliditate canum instar blandientium & ceventium, se tanquã amicos associare norunt: ubi verò fortuna lævam porrexerit, ubi penu exinanitum fuerit, ubi

res ad inopiam & penuriam devexerit, resiliunt è vestigio, proripiunt se celeriter, & consopitâ omnino omnium benefactorum memoriâ protinus proculque recedunt. O pessimum hominum genus! ô amicos detestabiles, quos gnathones & parasitos verius, quàm amicos dixeris, qui vertumno sunt inconstantiores & Euripo instabiliôres, qui quoquò se fortuna vertit talipedantes variant.

Hos detestatur David, hos Hiobus execratur, hos Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli abominantur, hos Christus ipse Salvator noster veluti tepidos respuit & aspernatur: hos devovent omnes frugi boniq; viri. Hi sunt Polipedes illi Versipelles, qui colorem suum ingeniosè mutare sciunt, ut ne prodantur: hi sunt Melanuri illi de quibus gustare vetat Pythagoras: Caveamus nobis ab istiusmodi amicorum sodalities, evitemus eorum familiaritatem, qui nihil stabilitatis, nihil firmitatis, nihil constantiæ in se habent, qui affluente fortunâ affluunt, refluxente refluunt, quibus ob inconstantiam & variegationem suam ne hilum quidem fidendum.

His insuper aliud adhuc est ex his oriundum
ami-

amicorum genus, genus dico amicorum nothum,
 spurium, & adulterinum, quod tantò deterius &
 scelestius, quantò frequentius & nocentius: id ve-
 rò adulatorum est & assentatorum, qui & ipsi vul-
 pinâ quâdam astutiâ amicitiam oppidò simulant,
 & interim blandi sunt inimici, malevolentiam, o-
 dium, invidiam insidiosasq; machinationes in pe-
 ctore foventes, sub syncerioris affectus velamento,
 mel in ore, fel in corde gestantes, felium instar ante
 lingentes pone stringentes, *die gleich den Ragen fornen
 lecken hinden fragen/* qui veluti scorpiones ore blan-
 diuntur, caudâ verò pungunt, qui, ut psalustes re-
 fert, cum proximo suo pacem loquuntur & mala
 interim cogitant, in cordibus suis, qui uno ore &
 flant & sorbent, qui alterâ manu lapidem ferunt,
 alterâ panem ostentant, qui apium more mel in la-
 bris, aculeum verò in caudâ gerunt, qui sui semper
 dissimiles ad rem quamvis natam se adaptant, haud
 absimiles umbræ, quæ quoquò te veritas & quic-
 quid agas respondet. Qui Cibaritarum Verrino-
 rum instar cuncta odorant & peruestigant, & in
 ea postindè linguas suas vibrant venenatissimas,
 qui

refurc
 optam
 oria pro
 nominam
 bones &
 in vertu-
 biliores,
 variant,
 ecratur,
 abomi-
 relui te-
 r omnes
 spelles,
 et, ut ne
 rulare
 mod
 rita-
 con-
 aut,
 & ve-
 am
 undum
 am-

qui nullum aliud abominati sui spiritus linguæque maledicentissimæ præmium novère, quàm clam odisse & audacter calumniari omnia: Turba gravis belli placidæque inimica quieti, quæ cum aliquin promiscua sit per omnes terræ oras, & per omnes totius universi status & ordines, tum vel imprimis & propè peculiariter in Principum aulis gliscens vigensque est; perpetuum (ut Curtius ait:) Regum Principumque malum.

O miseros & in felices Principes! quibus vel in consiliis suis ineundis, vel in conversatione familiarum, vel in servitio suo conducto ejusmodi assentatores & adultores obtingunt: assentatores & adultores, ut Principibus suis amici videantur & complacent, sese in omnibus accommodant ad voluntatem ipsorum, nec quicquam nisi ad gratiam eorum & ad beneplacitum loquuntur, & quocumque illorum inclinatur animus, eodem & ipsorum propendent voluntates perfimiles Heliotropio, cujus tantus perhibetur solis amor, ut cum ipso circumagatur, & quocumque se verterit Sol, eodem flectat & ipsum cacumen suum, noctu etiam, tanquam desiderio solis, florem contrahens.

Hi

Hi sunt qui aures Principum virosâ susurrorum fece conficiunt, qui invident opulentis divitiis, probis bonitatem, literatis eruditionem, favorabilibus gratiam, omnibus omnia; hi sunt, qui, cum tantillum genuini sui veneni in faciles Principum suorum aures stillavere, amicus vetus, verus, probus, innocens & fidelis limine submoveretur, perierunt tempora longi servitij, & nusquam minor est jactura clientis. Hi in cubiculis Principum viperæ sunt, in fallacijs consarcinandis vulpes, in alienis introspectendis negotijs lynces, & oculi toti, quorû assentationes & adulationes plures pessundant, quàm morbi, quàm pestis, quàm dira infortunia. Hi denique sunt, quorum comparationi digitorum tollerent cederentque famigerati delatores Narciscus Asiaticus & Massa Parthenius, in quos pejus, perniciosius & periculosius est quàm in corvos incidere, hi, quoniam mortuos, illi verò vivos devorant.

Caveant ergò Principes ne spurium hoc amicorum genus, ne pessimi illi adultores & assentatores sese apud ipsos ingerant, qui lupis similes titil-

B

lan-

lando & palmando asinos devorantibus, Principes infatuant, infatuatos consumunt. Caveant sibi omnes boni frugique viri, caveant sibi inquam ne nimium assentatoribus & adulatoribus fidant, ne pro amicis sibi associent parasitos, gnathones, assentatores & adultores, qui reverà amici nō sunt sed infidelia, inconstantia, fallacia, fraudulenta & dolosa carcinomata, quorum purulenta & venenata sanies improvidè cōtrectata lethaliter sauciat & adurit. Omnes itaque & singulos phiditij hujus nostri hospites uti amicissimos ità accepeissimos, perquam amicè submonitos volo, nequid avidius de subdolis sub primo hoc nostro missu ab ipsis assentatoribus, adulatoribus & parasitis subimportatis ferculis degustent, quæ vel ob id tantò suspectiora sunt, cum nequam illi vesicis suis acōnita pleurumque obsaccharata miscere soleant.

Facessant ergo adultores, assentatores & parasiti cum patellis suis suspectis operimentatis. Ast nequid interim tædii aut displicentiæ vobis ex internexa suboriatur mora, curabo illicò, ut secundus phiditij hujus nostri missus in paratissimo sit,

in expositu
veram amici
cordiam, just
pragustatio
horum insul
terionis diser
munus. Om
bilares latic
Vah! qua
amicos explor
discernere, ma
delatentia cor
hæc opus er
no probe dign
pruta veræ ami
culantique tru
examines. Sed
attēdite. Veræ a
conformitas, 2
statusq; equalit
benevolentia o
observabilita

in cuius securitatem anteambulatricem subornabo
 veram amicitiam, dapum latrices, pietatem, con-
 cordiam, iustitiam, benevolentiam & honestatem,
 prægustatricem ipsam fidelitatem, & nequid edu-
 liorum insulsius aut insipidius sit, ego, adperso ul-
 terioris dissertationis sale, condimentarij obibo
 munus. Omnia in salvo tutoque erunt: vos modò
 hilares lætique fruniscamini.

Vâh! quàm arduum, quàm difficile est veros
 amicos explorare, verosque à simulatis & fucatis
 discernere, maximè propter dubia semper suspecta
 & latentia cordium penetralia. Hic certè coticu-
 lâ lydiâ opus erit, ut aurum genuinum ab adulteri-
 no probè dignoscas: hic necessum erit, ut appro-
 priata veræ amicitiae requisita accuratius perpensi-
 culatiusque trutines, adeoque veram amicitiam
 examines. Sed quænam illa? paucis exponam, vos
 attēdite. Veræ amicitiae requisita sunt, 1. religionis
 conformitas, 2. voluntatum identitas, 3. morum
 statusq; æqualitas, 4. fidelitatis stabilitas, 5. mutuæ
 benevolentiae operositas, & denique 6. honesta-
 tis observabilitas. Hæc ubi concurrunt; hæc ubi

vel in duobus, vel in trib⁹, vel, quod rarissimum est, in pluribus præsentanea sunt, ibi veræ amicitia in-
doles progerminat & propullulat, ibi veram amicitiam certò sperare & conciliare licet: hæc verò ubi deficiunt, ibi nihil spei, ibi nihil prorsus expectationis suppetit.

Nihil est quòd magis confociet, quòd magis combinet, conglutinetq; amicorū mentes, quàm ipsa religionis conformitas, quâ sublatâ, amicitiam, fidem & omnem humani generis societatem tolli necesse est.

Tu si vis tibi amicum verum eligere & adoptare: elige & adopta, qui sit ejusdem tibi religionis, qui eūdem verum & unum Deum tecum colat, qui non sit vel atheos, vel hæreticus; hoc enim primum & firmissimum veræ amicitia fūdamētum est, in religione & fide non discrepare: & certè, si diversæ religionis, si diversæ fidei amicum cooptaveris, quī poterit amicitia cōsistere aut durare, quī tibi poterit amicus esse verus, qui Dei inimicus est?

Alterum veræ amicitia fulcrum, est Voluntatum identitas; Debet enim amicorum una
ani-

amica, ut
munia. Tu
as tibi talem,
nam ubi inte
ibi benevole
fima & adam
elico: idem
conymus inq
amicitia.

Tertiu
mentum, est
non est inaq
nisquam tuta
tuz benevole
crepantia & d
ne impedimē
dicidium &

Tu ergo si
promiscue &
pitanter agere
landi, respice
ipso pangas &

anima, una voluntas & cætera omnia esse communia. Tu si vis tibi amicum habere verum, habes tibi talem, cujus idem tecum sit & velle & nolle: nam ubi inter amicos est voluntatum discrepantia ibi benevolentiaë vincula, ut maximè sunt artificissima & adamantina, disrumpuntur & cõfringuntur illicò: idem velle & idem nolle, hæc, ut divus Hieronymus inquit, hæc demum vera & durabilis est amicitia.

Tertium veræ amicitiaë columnen & stabilimentum, est morum statusque æqualitas; ubi morum est inæqualitas, ubi status est disparitas, ibi nusquam tuta fides, nulla stabilitas, nullaque mutua benevolentiaë securitas, morum statusque discrepantia & difformitas, est infallibile veræ amicitiaë impedimētum & obstaculum, præsentissimum discidium & diremptio ejus paratissima.

Tu ergò si verum tibi vis adsciscere amicũ, noli promiscuè & inconsideratò procedere, noli præcipitanter agere: respice prius mores amici tibi cõciliandi, respice statum ejus, priusquam amicitia cum ipso pangas & confirmes, ne ea tibi poenitenda

contingat, rarò enim aut nunquam ferè sincera & durabilis solet esse amicitia, quæ inter inæquales & dispares quoad mores & quoad statum conciliatur, nunquam ea ipsa benè succedit, nunquam benè vergit, quod apologus Æsopicus de agno cùm lupò amicitiam ineunte perbellè testatur.

Quartum veræ amicitiaë requisitum est fidelitatis stabilitas: fideles oportet esse amicos & quidem nō vacillanter, sed cōstanter & perseveranter; non enim sufficit in rebus lætis, prosperis & optatis tantum amico adesse, sed in adversis in primis fidelitas & amicitiaë constantia probatur & exploratur, juxta tritum illud: amicus certus in re incerta cernitur? Imò amicus verus certusque in rebus creperis coamico suo à consilio, id adversis solamini, in arduis & difficilibus adjutorio esse solet.

Tu si vis tibi de vero amico prospicere, prospicias tibi de tali, cujus fidem, dexteritatem & constantiam longo usu & diuturna exploratione jam tum exploratam agnitamque habeas, qui in dubijs te non relinquat, qui in adversis à te non desciscat, qui non sit instar arundinis, quam ventus
huc

hic illic m
ricula, nulla
discrimen tu
fugiat, qui ti
portunus in
prillimus in c
emolumentu
qui quaquã p
verat; qui ne
sive non frau
de dextre que
tu & tu move
Ex quo po
tate appropriati
operositas: mu
arctissimum ve
quasi anima eju
sa, sed in utraq; f
sa, in dandis & r
dis & reservand
hostendis bene
otsequijs & ser

huc illuc motitat, qui nulla incommoda, nulla pericula, nullas adversitates & ne ipsum quidem vitæ discrimen tui redimendi salvandique causa subterfugiat, qui tibi dexterrimus sit in consulendo, opportunus in monendo, & ubi opus erit promptissimus in consolando, qui commodum tuum & emolumentum semper & ubique promoveat, & qui quaquâ poterit nocitura tibi prævertat & avertat; qui non perfidè tecum agat: qui non dolosè, non fraudulenter, non simulanter, sed candidè dextreque experiatur, qui te amet tanquam se, ut & tu movearis ipsum amare tanquam te

Ex quo porrò suboritur quintum veræ amicitiae appropriatum, nempe mutuae benevolentiae operositas: mutua & reciproca benevolentia est arctissimum veræ amicitie conglutinamentum, & quasi anima ejus vegetativa, quæ nō latens & otiosa, sed in utraq; fortunâ, tam prosperâ quàm adversâ, in dandis & recipiendis consiliis, in comunicandis & reservandis secretis, in conferendis & redhostiendis beneficijs, in præstandis & acceptandis obsequijs & servitijs, patens & operosa esse debet.

Tu

Tu si tibi verum amicum habere voles, talem tibi fortiare, cujus benevolētia vicissitudinem jam tum lōgo tempore mutuâq; assuefactione cognitâ, exploratam, perspectam indubitamq; habeas, qui non latens, sed patens, non otiosus sed operosus sit, cui secreta tua tutò concedere & communicare, à quo ad tua ipsi expensâ consilia, optima quæque recipere, mutua obsequia, studia & officia repræstolari, & beneficiorū in ipsum collatorum haud ingratum & invitum redhostimentum, certò sperare & expectare possis.

Sextum & novissimum veræ amicitiaë requisitum maximè appropriatum, est honestatis observabilitas: Ipsa honestatis ratio, suprema perfectio & consummatissimum veræ amicitiaë complementum est, quæ nihil turpitudinis aut pravitatis, nihil impietatis aut perfidiaë, nihil fraudis aut doli, nihil imposturæ aut deceptionis, nihil assentationis aut adulationis, nihil simulationis aut temeritatis, nihil insidiarum aut violentiaë, nec quicquid prodicionis aut perditionis admittit, Imò ipsa honestatis ratio est adæquata mēsura & norma amicitiaë veræ

veræ amici
niū & adu
nam hone
Tu ergo
querita tibi
fit, talē ubi
verè veram
amicum, qu
melius tibi ū
inquam pe
cum insigni
iunctam tibi
Reperi
res haud pre
gina Philo
ipulis sapient
inquam, qu
amicitiaë ip
iucunditati
nestatis m
Verūm
ad solius ju

veræ amicitiaë, quæ non tam ad jucunditatis lenociniũ & ad utilitatis mercimoniũ, quàm ad exactissimam honestatis stateram librâda pensitandaq; est.

Tu ergò si verum desideras & anhelas amicum quærita tibi qui frugi, qui honestus, qui virtuosus sit; talẽ ubi ex voto & desiderio tuo adinveneris, verè verum, perfectum & consummatum habebis amicum, quò nihil pretiosius, nihil optabilius, nihil melius tibi in universâ rerum naturâ contingere unquam poterit, qui maximam sui necessitatem, cùm insigni jucunditate & utilitate uberrima conjunctam tibi comprobare nunquam defetiscetur.

Reperiuntur equidem in scholâ morali auctores hæud præletarij, quorum antesignanus est Stagiritæ Philosophus, cujus autoritas alioquin ab ipsis sapientibus pro oraculo habetur, reperiuntur inquam, qui tres inter se divisas & distinctas veræ amicitiaë species quamlibet legregatim, unam ad jucunditatis, alteram ad utilitatis, tertiam ad honestatis mustricolam comminiscuntur.

Verùm tantùm abest, quòd amicitia, quæ aut ad solius jucunditatis, aut ad solius utilitatis me-

C

dimnum

dimnum hostitur, sit vera amicitia, ità ut delirare aut insanire potius videatur, qui eam non potiori jure ad honestatis rationem consolidet, sine qua vera amicitia nec vera est, nec talis dici meretur, sine qua nihil quicquam jucundum, nil quicquam utile arbitrabimur. Concedimus quidem, quòd etiam amasiorum, qui sub turpi & inhonesto ple- rumquè exitu, ad solam jucunditatem respici- unt: damus & subscribimus, quòd etiam furum & latronū, qui aut cum suspendii, aut rotationis, aut decollationis periculo, solius commodi sui gratia conspirant, possit esse animorum quoddam & vo- luntatum uniprolium, quòd autem vera amicitia inter ejusmodi hominū quisquilias versetur, quen- quam sanæ mentis asseveraturum nunquam credi- derim. Sola namque atque unica illa amicitia, vera amicitia est, quæ honestatis glutine ferruminatur.

Hæc refertissima est utilitatibus, hæc plenissi- ma est jucunditatum, ex quibus nunc, absoluto se- cundo phiditii huius nostri missu, ipsa bellaria pro- tertio missu instruere incipiam.

Deprædicantur prisq̄is historiarum monu-
mentis

mentis g
Annonii &
Albanorum
nepotales
Apicii poly
rum, Medo
via: extollu
ro puto aure
& pretiosissi
& delicatissi
in Caesarum
phiditii sol
collectament
zephni jucar
in patiorum
e porcellos
fluentes & p
leos subrigen
mos plumis
matis caudis
pernis, cum
coquorum i

mentis geniales Heliogabali, Luculli, Vitelli,
 Antonii & Cleopatæ dapes: laudantur adiciales
 Albanorum epulæ, pollucibiles Æsopi patinæ &
 nepotales Campanorum coenæ: commendantur
 Apicii polytrimmata, saliorum fercula, Ptolomæo-
 rum, Medorum, Sicularumque tyrannorū convi-
 via: extolluntur inimitabilia Pythei obsonia, ex pu-
 ro puto auro concinnata: quæ omnia uti lautissima
 & pretiosissima, ita jucundissima omninò fuerunt
 & delicatissima: Quibus nec nostra cedit ætas, ubi
 in Cæsarum, Regum, Principumque conviviiis &
 phiditiis solennioribus magnificentiæ causa in
 oblectamentum convivarum fercula & bellaria
 aspectu jucundissima inferri videmus: videmus ibi
 in prætorum delicias coquinariâ disciplinâ fabrica-
 tos porcellos grunnientes, capreolos è catenis pro-
 siliantes & per triclinium cursitantes, histrices acu-
 leos subrigentes: videmus ibi pavones flammivo-
 mos plumis versicoloribus vestitos, oculosq; gem-
 matis caudis rotantes; videmus ibi phasianos cum
 pennis, cuniculos lepusculosque cum pellibus, ita
 coquorum ingenio fabrefactos, ut vivos putares:

C 2

vide-

videmus ibi triumphalem Cupidinis currum, simu-
 lacra oppidorum, imagines elephantorum, effigies
 volucrum, naves cum armentis, insignia Princi-
 pum & id genus quàm plurima è saccaro atisque
 trimmatibus visui magis quàm esui accommoda-
 ta, magis oculos satiatura quàm stomachum, ita af-
 fabrâ dulciorum artificum solertia confecta, ut
 nemo ea à veris internoscere posset: adeò ingenio-
 sa natura mortalium ad cuncta quæ velit imitanda.
 Videmus etiam inter alia lepidissima bellaria po-
 ma, nuces & omnis generis animalcula, singulari
 mirâque artis industriâ ex saccharo & oderatissi-
 mis infusis ita ad vivum effigurata, ut & talium in-
 tuitu coelites oblectari credantur; Videmus testu-
 acea scitissimi saporis, dulcuratissimas placentas,
 tuceta pretiosissima, assaturas sapidissimas & con-
 fectiones, uti vocant, saluberrimas; quæ omnia
 perquam bella, perquam amoena, perquam jucun-
 da sunt & convivas mirificè afficiunt, refocillant
 & oblectant: Verùm longè jucundiora, longè a-
 moeniora, longèque delectabiliora sunt Epidipni-
 darum nostrarum Polytrimmata, bellariâ & trage-
 mata;

mata, quæis nihil in cœlis, nihil in terris suavius, jucundius & delectabilius esse potest.

Libate quæso, convivæ amicissimi, libate modicum de bellarijs & tragematibus nostris, & gustabitis illicò quàm suavia, quàm scita & quàm jucunda ea ipsa sint, libate aureum illud & verè divinum Davidis polytrimma, in obauratâ canticorû suorum patera appositum: Ecce quàm pulchrum, quàm amœnum, quàm jucundum est, fratres convivere & habitare unâ. Libate amabò Ciceronianum illud mellitissimû, amicitia hæud scio an quicquam jucundius sit homini à Dijs imortalibus datum, quâ sublatâ, omnis è vita jucunditas est sublata. Quid enim dulcius quàm habere qui sit ut alter idem tu, cuius sit idem tecum & velle & nolle, quocum omnia ausis sic loqui ut tecû, cui tutò omnia communicare, cui intima cordis tui arcana credere, & à quo in dubijs & incertis salutaria consilia, in adversis & tristibus solamen & auxilium, in prosperis & secundis adgaudium & gratationes audire & capessere possis: Quid suavius aut delicatius verâ amicitia, quæ instar balsami est pretio-

sisimi & oderatissimi, quod capiti superfusum
destillat super barbam, super barbam Aharonis,
quod descendit usque ad oram vestium eius; quæ
est veluti ros Chermonis, qui descendit super mō-
tes rzionis.

O immensam & ineffabilem veræ amicitia
iucunditatem! O iucundissimas suavissimasque
phiditii nostri Epidipnidas! quæ omnes omnium
temporum & seculorum delicias longè longèquè
exsuperant.

*Lucullicænas sileat patinasq; Vitelli
Nec non Autoni prandia prisca fides;
Fercula Pontificum nemo, aut epulas saliorum
Iactet, & Albanas Casareasq; dapes.
Iam patina Æsopi cedat; jam luxus Apicæ
Et Ptolemorum prodiga luxuries:
Iam sua Campani taceant conviviva, Pænus
Quæ sensit Pænis pernitiosa suis:
Nec Medi jactent Reges, Siculiq; tyranni
Vanâ quasitos ambitione cibos.
Omnia jam cedant conviviva, prandia, cæna,
Quæ celebrant vates fama; cantat anus.
Cedans phiditijs, quæ sunt suavissima, nostris
Quæ sapiunt divûm nectâr & ambrosium*

Jupi.

*Iuppiter his epulis si forte vocatus adesset,
Diceret, astricolis talia conveniunt.*

Eò verò uberiores sunt jucunditates veræ amicitia, quò cumulatioribus sunt utilitates ejus, quæ sese per omnes status, per omnes conditiones & per omnes casus diffundunt: Audiamus Lælium apud Ciceronem: amicitia (inquit ille) quoquò te verteris præstò est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiva, nunquam molesta est; non aquâ, non aère, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quàm amicitia, quæ secundas res splendidiore facit & adversas partiens leuiore; & quis esset tãtus fructus in prosperis rebus nisi haberes, qui illis æquè ac tu ipse gauderet; adversas verò ferre difficile est sine eo qui illas gravius etiam quàm tu ferret: per amicitiam & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valèt, & quod difficilius dictu, mortui vivunt. Si ex naturâ rerum amicitiam exemeris, nec domus ulla, nec urbs stare poterit, nec agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligatur quanta vis sit amicitia, ex dissensionibus, discordiis & inimiciis percipi potest: quæ enim domus
tam

tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis & disidijs funditus everti possit: ex quo, quântum boni sit in amicitia judicari facillimè potest, cui Deus benedictionem suam pollicetur & longævam exoptatamque vitam.

Ast quousque protraheo convivalem nostram lautitiam, quousque indulgeo & immoror interfectionum ubertati? temporis tandem inserviendum & phiditalibus sanctionibus, quæ modicitatem præcipiunt: finem itaque phiditiis nostris imponam priusquam autem iisdem defungar, vobis, suavissimi cõvivæ, pro more & jure hospitii, ne fortè queribundi & impoti dimittamini, Philothesium, qui proficiat, cratera propinabo adimpletum meracissimo mutux beneyolentiæ & infucatae amicitie passo.

Percepistis quid me ad celebrandum hocce publicum phiditium jam nunc tam propè confirmatum impulerit, & quâ de causâ, cuique bono id ipsum instituerim: percepistis quàm detestabilis, quàm execrabilis & quàm nociva sit ficta, simulata & supplantatoria amicitia.

Audi-

audivisti
nam ad eam
quàm in ea
mentis utili

Quise
co, non ma
suo intemer
convictu ga
ablatorum
riam experi
rem, concor
vere, quam
existibus e
proprios, b
tuzæ suæ fic
& supplantat

Agite e
inquam &
deliniment
tis & dece
dillidio, di
tiam veran

audivistis quàm pretiosa sit vera amicitia; & quænam ad eam conciliandam requirantur: audivistis quàm ineffabiles sint iucunditates & quàm immensæ utilitates ejusdem.

Quis ergò vestrùm, hospites iucund., quis, dico, non mavelit cum commodo & emolumento suo intemeratæ fidei & benevolentiaë hominum convictu gaudere, quàm cum periculo & damno adulatorum, assentatorum & parasitorum proterviam experiri? Quis non mavelit mutuam amorem, concordiam & unanimitatem salutariter fovere, quam odio, discordiâ, dissidiis & inimicitiiis exitalibus exagitari, lancinari? Quis non mavelit, propensos, benevolos, constantesq; & vitæ & fortunæ suæ fideiussores habere, quàm insidiatorum & suppalatorum injuriis devexari?

Agite ergò, symposiastæ jucundissimi, agite, inquam & repudiatis fictæ, simulatæque amicitiaë delinimentis, fraudibus, simulationibus, imposturis & deceptionibus, sequestratoque omni odio dissidio, discidio & discordiâ mutuam benevolentiã veramque inter vos amicitiam non ex nudâ

D

jucun-

jucunditate, non ex solâ utilitate, sed ad ipsam honestatis normam comensuratum jugiter concolite: ita in prosperis columnen & tutamen, in adversis solamen & lævamen habebitis, ita benedictione coelesti desuper vegetabimini, & ex voto vestro atque desiderio temporalem simul & æviternam possidebitis felicitatem.


D I X I.



Epigrammation gratulatorium, quo ambrosius nec-
tareisq; veræ & sinceræ amicitia delicias illustri commilitan-
tis Marpurgi anno stabili & a CaDeMia studiosæ juventutis panegyri ge-
neraliter à mellitissimo suo matrueli propinatis divinam benedi-
ctionem est apprecatus

*THEOPHILVS VOLLANDVS, C. H. SS. Theol.
Studios.*

AN, quod non enti nihil attribuatur, aberrat,
Virtutem quisquis dicit amicitiam?
*Tanta molis, eam qui persuadere modernis
Audeat ingenius, aggreditur opus,
Nulla creata sibi, virtus ut sola creatrix
Vendicet id, cujus spe tua svada sonat!
Quid, si promissis ejus respondeat idem
Eventus, quotus hanc non colet atq; Deam?*



Virtus

Virtute & doctrina politissimo Juveni Domino

HENRICO RIEDGANSIO, amico suo suavissimo rudi quidem & invita Minerva sed tamen animatus gratulandus hæcce adjecit

GEORGIUS BRAMBEER, Fachensis
Hassus.

Hortus odoriferis situs est uberrimus herbis
Non procul à ripis algida LANA tuis.
Innumeros flores herbasq; hic educat hortus,
Hic etiam *Laurus Juniperosq;* tenet.
Hic *Narcissus* hians & suave rubens *Hiacynthus*
Hic *viola* molles hic *salunca* viret.
Hic & *Acanthus* adest, *Tulipa* hinc sunt mille colorum,
Hic *Amaranthus* & hinc *lilia* mista virent.
Nec rosa purpureo *Veneris* conspersa cruore
Nec rosa, quæ cygnos vincere possit, abest.
Hunc hortum nuper (credo sic fata volebant)
Turbatus nullo me comitante peto.
Dumque huc atque illuc teneris spatiarer in herbis
An possim mentem sic recreare meam.
En mihi fortè venit pulchra obvia corpore virgo,
Virgo Barbaricæ nil feritatis habens,
Accedens propius blandâ me voce salutât,
Et dein me verbis talibus alloquitur:
Ne mirere puer Phœbi charissima proles
Quæ sim, quid cupiam, quæ tibi iussâ feram.
Sum Dea (confiteor) Phœbo prognata parente
Musarumq; novem charaq; fida soror.
Pauca tibi quæ sunt faciendâ (adverte) docebo,
Et mea verba tuo pectore conde bene.

Ried-

CIA

Riedgans Treisensis Musarum fidus alumnus
 Quem Charis & pleno numine Phœbus amat,
 Mox mox Marpurgi conscendet pulpita sacra
 Mox mox ex illis verba diserta dabit,
 Verba diserta dabit, Periclæo pondere verba,
 Saxea quæ motu flectere corda queant.
 Orator cathedrâ facundo maximus ore
 Stabit, & ad cœlos tollet **A MICITIAM**.
 Quapropter celeri cursu pete tecta paterna,
 Menteque gratanti carmine pauca cane.
 Nec dubites quærasvè diu quid carmine cantes,
 Ipsa tibi vires materiemque dabo.
 His dictis statim tenues mutatur in auras
 Evanuit, post hac nec mihi comparuit.
 Gratulor ergò tibi *Riedgansi* suavis amice
 Gratulor & toto pectore fausta precor.
 Grataturque novem Musis sacrata juvenus,
 Grataturque pater mater & ipsa simul.
 Non modò gratantur sed præclara hæc quoque facta
 Laudabunt atque hæc sidera ad usque ferent.
 Hinc tibi surget honos, laus, gloria summa, decusque,
 Fama sub extremis non moritura rogis.
 Quod superest *Dominus* Dominorum cœpta secundet,
 Eveniat studiis mollior aura tuis.
 Accipe pauca hæc quæ dictavit *virgo pudica*
 Accipe fronte hilari & consule quæso boni,



A La louange
 quelle fit Paroitre
 vo de les re
 qui y ha

D E melin
 Na' volr
 Car celle
 Latite, V
 Mais celleci
 Le Monarque
 Le fils d' Eter
 Da'mitie, de
 Anli dorena
 Ser en plus gra
 Yequelle en a
 Et quelle ne pe
 Mais favorite
 Riedgans, a q
 Pris, quil nous
 Et qui nous a
 De plus nous a
 Et font pour c

m Veram Amic

8
 GRAM

Ma! Celebrent alii
 Impatos, alii
 et tamill docent terrâ
 Cantibus laudet
 Vana fulta ferant ali
 P redioet hinc alte

A L'alloüange de L'université de Marbourg, lors
 quelle fit Paroistre vn tesmoignage de sa renaissance: Par-
 vn de ses tres dignes membres L'est. Riedgans.
 qui y haranguoit de la vraye amitié.

DE mesme que iadis la premieremaison
 Na'uoit à la seconde point de comparaison,
 Car celle la gardoit au milieu de son ron
 Larche, Yrim & Tummim & la verge d' Arom:
 Mais celleci receut autrefois dans son Sein
 Le Monarque des cieux, qui n'auoir point desin,
 Le fils d' Eternité, prescheur de verité,
 Da'mitie, de bonté & de Sincerité.
 Ainsi dorenauant cette Vniuersité
 Sera en plus grand' fleur quelle n'a onc esté
 Veü quelle en a banni les banquiers du mansonge
 Et quelle ne permet, que le vice sa ronge.
 Mais fauorisé de l' amitié le fauteur
 Riedgans, a qui se doit la palme de l' honneur,
 Puis, quil nous a repeu du meilleur de l'armoirt,
 Et quil nous a donné du bon néctar a boire,
 De plus nous a serui de mets delicieux,
 Qui sont pour des delices aux habitans des cieux

Vostre tres humble & tres obeissant
 Seruiteur

F. D. L. S. S. T. S.

A V T O R I

Cum Veram Amicitiam in Academia Marpur-
 genfi publicè

Oratione decantaret.

HEm! Celebrant alii Vencrem, atque Cupidinis ignes

Impuros, alii lætitiæque patrem

Ex humili ducant terrâ ad fastigia rerum.

Carniibus laudethic simulacra Deum:

Numina falsa ferant alii Virtute supremâ

Pædicet hinc alter Regia tecta, domus;

Rursus

Rufus & ille Canes celetes turbamq; Diaax,
 Tollat & hic nimium prælia facta Virum,
Ille canat bellum rigidi & certamina Martis,
 Nec non procellas prædicet armifonas,
Contra te potius, Riedgansi fontis alumne
 Aonii laudo, vana quòd acta files,
Virtutem contra tractas tibi lumen in orbe
 Gna vus amicitiz candida verba ratæ
Segni etenim virus: gnavis est lumen in orbe
 Virtus, quæ cunctis monstrat ad astra viam.
Riedgansi, dubio sine, tu quoq; mente volutans
 Tecum perpendis talia jam tacitus
Inceptum, dico, ne cesses, perfice, ceptum,
 Virus enim segni, sed tibi lumen erit.
Expendas quæso tua sic conamina magna,
 Perge, tui cursus digna brabea feres.
Dum sermone potens excelles munere linguæ,
 Macte & amicitiz scripta perita cane?
Gloria non tenuis tibi erit sed lumen in orbe,
 Cœptis si pergis tollere tale sacrum.
Artibus est etenim cunctis Via & in via nunquam,
 Talia jactando discere quæris, eas.
Non te pœniteat duros perferre labores,
 Nam superi vendunt dona labore tuo.
Sed quid ago? superest, superest nunc corde precari
 Omnia fausta tibi: Vive vige atq; Vale:
Id precor ex animo tibi grator pectore toto,
 Vive Deo gratus, vive & amicus homo.
Vive & amice Vale patriæ, patriq; mihiq;
 Vive pius felix, Vive & amicus homo
Spiritus hoc faxit superi Patris inclyta Virtus,
 Solus qui cunctis pe ctora amica facit.

Lubens ludebam: ludensq; applaudebam;

J. C. Cangieter, W.

F I N I S.

